

ad hoc carnali, tamen amore peccavit. Resecandum hoc vitium vel eradicandum. Sed tamen hoc magnum cor tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum.

Luc. 9. n. 61. Et ait alter: Sequar te Domine: sed permittite mihi primum renuntiare his, quae domi sunt.

Ibid. num. 61. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

VERSIONES.

Syriacus. Dixit ei alius: Post te ibo: Domine mi; sed permittite mihi prius, ut proficiscar vale dicturus filiis domus meae, & veniam.

Vatabl. Euthy. Vale dicam iis, qui sunt domi meae.

Multis ex Graeco. Vale dicam iis, quae domi sunt.

Syriacus n. 62. Nemo admovet manum suam ad aratrum paris boum, & respicit retro, & aptus est ad regnum Dei.

Tertull. lib. de Idololat. c. 12. Nemo aratro manum imponens, & retrò spectans.

D. Ambr. in Luc. Habilis est regno Dei.

D. Chryso. ho. ml. 28. in Matth. Nemo, qui manu imposta aratro ad posteriora reversus est, idoneus est ad regnum caelorum.

EXPOSITIO.

70. Animus bonus, animo superioris similis. Tolet. Hic tertius paratus ad Christi sequelam, habens preparatam voluntatem renuntiandi omnibus pro Christo, brevi interposita mora. Unde quamvis hic tertius fuerit dissimilis secundo in exteriori, siquidem secundus vocatus est à Christo; Sequere me; quod de hoc tertio non legitur; tamen in interiori ei valde similis est, siquidem in utroque, ut notat Toletus in Comment. bonus, ac molestus animus inerat, & simplex affectus; & non dolosus, ut in Scriba erga Christum; & uterque iste intus à Domino trahebatur.

71. Sensus bonus, praeiudicium. Et ait alter. Per quod exprimitur, quod iste erat alius distinctus à duobus antecedentibus. Sequar te, Domine, paratus sum, ut scribar in nu-

mero tuorum discipulorum, utque in omnibus tibi obtemperem, hanc enim vim habet illud verbum, Sequar te, id est, quocumque iusseris. Non verò dixit, quocumque ieris, ut superbus Scriba: affectus animi in verbis interlucet. Domine, ait; non dixit, Magister, ut Scriba, sed Domine, quae est vox amoris, & subiectionis, ut iam notavi in superiori adolescente. Sed permittite mihi; illicentius non vult abire; renuntiare, quae domi sunt; id est, ut abeam in domum meam, renuntiem, ac dimittam res meas, easque inter meos amicos, ac notos dividam, & disponam, eisque ultimum vale dicam, ut latius explicabo quæst. sequenti.

72. Syriacus. Nemo mittens manum; hoc est, admovens manum, ad aratrum; Syriacus addit, paris boum, & respiciens retrò, nempe ad ea, quae à tergo sunt. Et non ait, rediens retrò, sed respiciens, multum enim nocet intuitus, ac consideratio temporalium. Aptus est regno Dei. Non est iste talis aptus ad promerendam, ac prædicandam salutem æternam, quam per regnum Dei intelligit, cum iam omittat, delectat, ac procrastinando dilationem interponat in bonis inceptis, ac ad præterita mala temporalium rerum iterum regrediat. Ut ait Paulus 2. ad Timoth. 2. num. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: ut ei placeat, cui se probavit. De hoc latius quæst. 12.

QUESTIO XI.

De tempore, persona, ac petitione istius hominis.

73. De tempore huius historiae, quam inter De tempore omnes Evangelistas solus Lucas narrat: An huius historiae contigerit post commemorata facta Scribae, & discipuli, quae refert Matthæus: Et quoniam in hoc negotio nil compertum habeamus, tamen valde verisimile, ait Maldonatus, quod hæc omnia intervenissent in Galilæa. Per quod facti Evangelistæ voluerunt explicare, quam aliter in Judæa, quam in Galilæa vocationes Christo successissent; siquidem in Galilæa vocationes vocati secuti sunt Dominum; in Judæa nec quicumquam vocatus secutus est eum, & ij, qui sese sponte obtulerunt, ita oblati, ut repulsa digni fuerunt. Hanc tamen sententiam non probo, siquidem in Judæa, ac Jerusalem vocatus est Nicodemus, ut ipsemet docet ad cap. 3. Ioann. nu. 12.

74. Communiter Recentiores dicunt, quod simul narrant in magnam nostram eruditionem. Quia Christus Dominus repulso primo, qui se offerebat, alium se non offerentem vocavit, & hunc tertium ad se venientem recepit. Ut intelligant omnes, non valentis, neque currentis, sed Dei miserentis esse; siquidem non eliguntur omnes qui se offerunt; neque omnes qui se non offerunt, repudiantur. Ego autem dicendum existimo, quod ista historia contigerit post commemoratam superiorem de discipulo; siquidem postquam Lucas ipsam refert, ita hanc scribit: Et ait alter. Illa conjunctio Et, prænotetur; connectitur enim hoc factum cum superiori; ac proinde videtur, Evangelistam denotare, successivè hoc

hoc contigisse; ad quid aliter apponeret illam conjunctionem?

75. Basil. Quis iste juvenis. August. Secundò circa personam huius hominis, D. Basilios in constitutio. Monasticis, cap. 2. 1. docet, hunc fuisse quendam ex Domini discipulis, sicut & præcedentem, qui mortuum sepelire vetitus est. Idem habet D. August. relatus in Catena D. Thoma, prout ait: Alius verò discipulus misit se in medio. In eadem sententia sunt Cardinales Cajetanus, & Toletus. Nec enim pius salutis amator, qui omnes ad se vocabat, hunc habentem piæ, ac modestum animum ipsum sequendi, repudiaret; sed potius ipsum erudit, & abire non permisit.

76. Explicatur uerbis perit. August. Cajetan. Maldonat. Vulgata. Syriacus. Tertio expendenda est huius hominis petitio. Ait: Permittite mihi primum renuntiare, quae domi sunt; verbum enim Græcum valde ambiguum, & sensibus gravidum; nam significat, aut renuntiare bonis, de illisque disponere, aut vale dicere amicis, & consanguineis. In priori sensu illud interpretatur D. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 2. 3. sequuntur Cajetanus, Maldonatus, & alij, & maxime faver nostra Vulgata: Renuntiare, quae domi sunt, seu, ut habet Syriacus, domi mea sunt. Per quae videtur petere licentiam ad eundem in domum suam, ut res, de quibus habebat usum, divideret; ac inter suos distribueret. Posteriorem sensum sequuntur D. Cyrillus in Catena D. Thoma. Idem D. Augustinus serm. 7. de verbis Domini. Titus Bohtrensis, Beda, & alij. Et maxime faver Syriacus: Vale dicturus filiis domus meae. Vatablus, Euthymius, Theophylactas: Vale dicam iis, qui domi sunt, tamquam si petat licentiam, ut domesticis dicat ultimum vale.

Cyri. August. Bohtrensis. Beda. Syriacus. Vatabl. Euthym. Theoph. Mihi tamen videtur dicendum, quod illud verbum; Renuntiare: utrumque sensum hic habet. Nam variæ lectiones illum indicant; nec aliter possunt commodè explicari; & Augustinus citans in locis, utroque sensum apponit: & ex una re intenta, altera sequebatur: ac proinde postulat facultatem ad eandem in domum, ut suas res inter amicos, & consanguineos dividat, & de eis ordinet, atque disponat, similiter etiam ut amicis, ac domesticis ultimum dicat vale. Et utrumque fortasse proveniebat ex pio affectu: nam volebat dividere sua ad rixas, & controversias evitandas, & suos etiam certiores facere, ut ait D. Augustinus; ne ipsi querant me, ac ambiguitate premantur ignorantes, quid de me factum sit. Fortè iste extitit animus juvenis huius; & licet aliàs videatur pius; tamen erravit, cum ob temporalia voluerit ad momentum à Christo sepa rari; cum autem manaverit ex aliquo prætextu pietatis, benignè fuit supportandus, & ipse instruendus. Vide, quae dixi superiori quæ. ad finem.

77. Germana huius rei explicatio. August. Idem.

QUESTIO XII.

Quid Christus significare voluerit in illa parabola: Qui mittit manum suam ad aratrum?

78. Cyril. Alex. primo D. Cyrillus Alexandrin. lib. 5. in Ioan. c. 37. In sensu litterali huius sententiæ quantumvis in modo explicandi videatur aliqua dissensio, in re tamen nulla est. Nam

D. Basilios de constitut. Monasticis, cap. 1. Bohtrensis, Beda, D. Bonaventura, & communiter Patres, & Doctores ita exponunt. Quod quemadmodum si quis admoverit manum ad aratrum, & ceperit illud ducere, terramque profcindere, & attentè respiciat ad ea, quae à tergo sunt, ineptus est ad aratrum ducendum, terramque excolendam; nam inutiliter, & infructuose laborat ducens sulcos, nec rectos, nec profundos. Imò, ut ait Cælius infra citandus, aversione vultus confundit, & dissipat ordinem præteriti laboris. Secundo D. Cyrillus citandus in Catena D. Thoma, D. Basilios serm. 1. de Baptismo, Euryimius, Toletus ita explicant, quod ille, qui arando ad posteritatem respicit, opus non perficit, sed dilatione differt, aut omittit, aut deserit.

79. Sed in his sententiis nulla est dissensio, cum unum sequatur ex altero. Nam sicut qui arando respicit retro, inutiliter agit, & totum præteritum laborem confundit; & ex hoc etiam in consequendo finem agriculturæ ponit moram, & dilationem, & iste talis non est aptus ad munus agriculturæ subeundum, fructusque ex seminibus colligendos. Ita etiam qui animo statuit, ac ceperit me sequi, & esse discipulus meus, cuius officium est, regnum Dei sibi acquirere, ac aliis annunciare, hic si ad res temporales, quas jam reliquit, iterum respicit, & se convertit, talis non est idoneus, sive ad assequendum, sive ad prædicandum regnum Dei, ac ut meus sit discipulus; & ideo ille talis opus ineptum deserit, ac omittit, aut procrastinando in huiusmodi negotio dilationem ponit, cum sollicitudo temporalium maxime repugnet cum studio regni caelæstis, ac mei discipuli, qui à rebus caducis debet esse liber, & expeditus. Alias Parrum sententias videamus.

80. Primo Origenes tract. 33. in Matth. hanc Domini sententiam accommodat Prædicatoribus, quos mittentes manum ad aratrum, id est, ad actum prædicandi, ac docendi, oportet non respicere retrò, id est, à verbi prædicatione non cessare, sed semper animarum salutari incumbere: quamvis enim alia bona opera exerceant; ex eo tamen solo damnabuntur, tanquam sibi creditum talentum abscondentes, cum ab evangelizando cessaverint, juxta illud Pauli 1. Corinth. 9. num. 16. Va mihi, si non evangelizavero. Quæ sententia potest accommodari huic Christi discipulo, ut ait Toletus annot. 132. quia jam fortè inceperat prædicare, & annunciare regnum Dei.

81. Secundo D. Marcus Eremita in Catena Græca, explicans hanc sententiam, Mittens manum ad aratrum, sic ait: Hæc autem sciens, semper pro virili bonum operare, & in tempore laboris, ne convertas te ad id, quod est minus; qui enim se vertit retrò, non est aptus regno Dei. Cum majus negotium instat, non est omittendum pro minori. Ergo cum summum nostrum negotium sit regnum Dei, nobis procurare, & aliis prædicare, qui illud intermittit, ut terrenis incumbat, non est aptus ad regnum Dei.

82. Tertio D. Cyrillus in Catena D. Thoma. Apposuit, ait, manum aratro, qui affectuosus est ad sequendum; tamen respicit retrò, qui dilationem petit occasione redeundi ad domum, & cum propinquis conferendi. Reprobatur huiusmodi voluntas accedendi, ac conferendi cum propinquis;

Consanguineorum aspectus, ac conversatio valde nociva, ac exitialis his, qui Christum sequuntur; quovis enim pretextu ad eos devenias, recessus à via salutis maxime formidari potest.

Basil.

Beda.

Argumentum Religiosi secularium domos frequentantes.

83.

Euthym.

Oculos habeamus in Deum deservos.

Chrysof.

84.

Euthym. Bonus miles attendat, non ad ea, quae sunt elaboranda restans.

Ezech. 17.

85.

Gregor.

Qui retro creditur ad praeferita mala, indignus ad caelestia.

Athanas.

86.

Caelius.

nam consanguineorum aspectus, ac conversatio valde nociva, ac exitialis his, qui Christum sequuntur; quovis enim pretextu ad eos devenias, recessus à via salutis maxime formidari potest. Hanc sententiam ita confirmat D. Basilus in regulis brevioribus, interrogatione 179. Quod si de eo, qui renuntia e tantum voluerat, tale iudicium est, quid de aliis dicendum est. Unde bene multos Religiosos arguit in praesenti Beda. Si autem secutus Dominum discipulus, qui vel domi renuntiare velit, a quibus; quid fiet illis, qui nulla utilitatis gratia sepe visitant domos illorum, quos in mundo reliquerunt.

Quarto ponderandum est, quod non dixit dominus rediens, retrò, sed respiciens retro. Quod videtur notare Euthymius ibi. Oportet eum, ait, qui sequitur Christum, confestim omnia despiciere, & sequi, ne oculos quidem ab eo divertendo, ne forte habitum, & specie eorum, quae à tergo sunt, retineatur. Qui in sequela Christi vult proficere, ad unum tantum habeat defixos oculos, & mentem, nempe ad Deum, ut nihil aliud attendat, nec pro brevi puncto ab eo separari valeat. Unde ait Chrysofostomus: Omnia opera bona tunc mercedem habent, quando ad finem usque continuantur: sin verò interrumpantur, non parvum exiit naufragium.

Quinto idem Euthymius. Qui arare conatur, ait, & à tergo respicit, corrumpit conatus promptitudinem segnitie, quae à tergo respicit. Bonus miles, ut proficiat in militia Domini, ne respiciat, quae à tergo sunt, sed illa, quae ante oculos existunt, inspiciat. Inter quae hoc est discrimen, nam quae à tergo sunt, jam elaborata consistunt, quae verò ante faciem posita, efficienda restant. Bonus Christi miles consideret, non quod elaboraverit, sed quantum ei super sit, quanta agrorum spatia aratri vomere proficenda ei incumbat. De illis caelestibus spiritibus, ait Ezechiel, 1. num. 9. Ubi erat impetus spiritus, illic gradiebantur, nec revertentur, cum ambularent. Ecce agitati à divino Spiritu tendunt ad ea, quae ante faciem sunt, & ambulanda restabant, & non revertentur ad ea, quae à tergo, & jam trita erant.

Sextò D. Gregorius homil. 3. in Ezechielem, sic ait: Manum mittere ad aratrum, est, per quandam quasi compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum aspicit, qui post exordium boni operis ad mala revertitur, quae reliquit. Qui incipit, à peccatis, ac malis desistere, & manum mittit ad aratrum, ut compunctionis vomerem tor suum proficindere, Deoque aperire aggrediatur; & tamen ab hoc proposito retrogreditur, & ad mala revertitur, quae reliquit, talis ad regnum Dei non est aptus, cum magnum sit peccatum relapsus, à Deoque graviter puniatur. Nam, ut ait D. Athanasius in Catena Graeca. Verti autem, nihil aliud est, quam mutare consilium, & denuò mundana sapere.

In confirmationem hujus rei mulierem Loth in Sodoma retrò respicientem perbellè ponderat Caelius Sedulius lib. 1. Paschal. operis, cap. 5. Loth peritura fugiebat à Sodoma, cujus uxor incauta praesumptionis audacia, dum respicit, quae evasit, mutata salis remansit in statua, non pro sapientia, sed pro poena. Nullus enim ad contempta semel mundi differmina, praecipit rursus cupiditate, conversus, jucunda salutis latitia perfructur. Nec enim dignum est arator ille ventura fructuum selici-

tate gaudere, qui sulcum vomeris, recto cursu firmamendi retroversi vultus aversione confundens, praeteriti laboris ordinem distorrit. Quae optime pro nostro insinuat sunt d. & c. Et primò ponderandum est illud, Mutata salis remansit in statua, nota pro sapientia. Sal significat sapientiam, ut planum est: si verò insulsum, seu corruptum efficitur, delecta. Notat infatuitatem, ac rem profus inutilem, solum pedum conculcationi inservientem, Matib. 5. num. 14. & Marc. 9. num. 45. Dum hæc mulier oculis revertitur ad civitatem, quae jam exierat, statua salis efficitur, non quod sapientiam denoter, sed quod fatuitatem, ac jacturam suae praevagationis indicet. Et tandem maxime expendenda sunt illa ultima verba: Retroversi vultus aversione confundens, praeteriti laboris ordinem; ille enim, qui retrovertitur, totum dissipat ordinem, fructum, ac proventus antea facti laboris.

Et optime tota hæc doctrina stabilitur à sancto Nilo, citato in catena Graeca. Quid autem, ait, lex indicat, quae praecipit etiam, ingressus in templum, postquam una persolverit, non per eandem portam egrediaur, per quam ingressus fuerit, sed per oppositam, quo rectum iter faciat, & non revertatur retro? Assidue enim ad ea, à quibus discessimus propensionem, propter consuetudinem non retrahunt, & vigorem ad priora laxantes, progredi non sinunt, sed ad pristina mala redire compellunt. Magna vis magna est enim consuetudinis vis ad se nos trahebit, nec ad priorum virtutis habitum reverti permittit. Ex consuetudine siquidem habitus, ex habitu natura perficitur. Naturam porò movere, aut mutare, difficillimum est: licet enim paulisper inclinetur; celeriter tamen ad se ipsam recurrit. Quod satis totum eleganter est dictum: Maximè timendus est intuitus relictæ sæculi; nam iterum sæcularem habitum induere facit, ex quo natura innascitur: naturam verò à movere, difficillimum, nam quamvis aliquantulum declinet coacta, velociter, ac promptè ad se ipsam redit.



CAP. XXIV.

Sedatur tempestas in mari.

Matth. 8. n. 23. Ascendente eo in naviculam, secuti sunt cum discipuli ejus.

VERSIONES.

Syriacus. Cum conscendisset navem, conscenderunt cum eo discipuli ejus. Vatablus. Cum ingressus esset navim. Graecus. Ingrediente eo.

ALTER TEXTUS.

Marc. 4. n. 35. Ait illis in illa die, cum serò esset factum, transeamus contra.

Ibid.

Cap. XXIV. Sedatur tempest. in mari. 537

Ibid. num. 36. Et dimittentes turbam assument eum ita ut erat in navi: & aliae naves erant cum illo.

Lucæ 8. n. 22. Factum est autem in undecim diebus: & ipse ascendit in naviculam, & discipuli ejus, & ait ad illos: Transeamus trans stagnum, & ascendentur.

EXPOSITIO.

1. Q UVM Dominus vidisset circa se turbas, iussit suis discipulis transfratere. Et tamen supervenientibus Scriba, & duobus adolescentibus, eos intravit in via salutis, ac veritatis, ut totum vidimus superiori c. à n. 1. Nunc verò ait suis discipulis: Transeamus contra, ut scribit Marcus, seu, Transeamus trans stagnum, ut narra Lucas. Optime sanè verbum Imperatoris, & dicitur: Transeamus, non enim suos jubet abire in mare, ac in periculum, & ipse manet domi deliciis indulgens: sed simul cum eis pergit; & dum praecipit, simul ipse vadit, ac prius ascendit. Et ideo dicitur: Secuti sunt cum discipuli ejus; quia, ut notat Abulensis, Christus prius intravit in naviculam, quam illi, quia Christus erat Dominus, & quo vadit Dominus, vadunt famuli. Et ponderandum est illud verbum, quod apponit Marcus: Transeamus contra; hoc est, ad aliam partem stagni. Moraliter, De hac terra ad caelestem, ac ad viam salutis, quae huic in saeculo contrarium habet vivendi modum, ut notavit Chrysofologus serm. 21. Transeamus contra, ait, de terrenis ad caelestia, de praesentibus ad futura. Et bene contra, quia divina semper contraria sunt humanis. Et ideo ad hanc viam peragendam discipuli dimittentes turbam, hoc est multitudinem, quae à turbando dicitur, ut jam alibi ex Alberto Magno notavi, ascendunt.

2. In naviculam. Quamvis alij Evangelistae scribant navim, & ex Graeco ita legi possit; tamen interpres per diminutivum transfert, quia in lacu illo Geneareth, cum ibi essent naves ad capturam piscium, non altae, & magnae molis erant. Moraliter Carthusianus advertit, quod Dominus non ascendit navem sublimem, & altam; sed naviculam pauperum, ac piscatorum: in quo ejus humilitas commendatur. Dominus humilia quaerit, & humilia ei placent. Secuti sunt eum discipuli ejus. A suo magistro, ob ejus amorem, non valent discedere.

3. Notandum est, quod quamvis ibi essent aliae naves, ut advertit D. Marcus: Et aliae naves erant cum illo, hoc est, in ejus societate; tamen discipuli non ascendunt in aliam navim, nisi ad eam, in qua Christus erat, quia ad hanc eos vocavit. Si quis ergo vult secare peragere cursum hujus vitae, non aliam navim eligat ad iter faciendum, nisi eam, ad quam Christus eum vocavit. Deinde navis est Ecclesia, seu fides, ut infra dicam. In eandem navim, in qua est Christus, ascendunt discipuli, quia ad salutem habendam requiritur, ut ambulemus in fide, ac Ecclesia Christi, quae est

una, nempe sancta, ac Romana, & Catholica Ecclesia. Advertit D. Marcus, quod discipuli assument eum, prout erat in navi, id est, ita discipuli assumpserunt Christum in altam mare ad illud transfretandum, ut ipse Christus erat sedens, & docens. Ingeniosum documentum considerat Chrysol. Chrysofologus citato serm. 21. Assument eum, ait, ut erat in navi; laus fidei est, ita Christum recipere, ut est, ut habetur in navi, hoc est, in Ecclesia. Quilibet non velit Christum recipere, ac sibi accommodare juxta suam voluntatem, ac beneplacitum; sed illum recipiat, & in eum credat, ut est in navi, ut illum nobis proponit sancta Catholica, ac Romana Ecclesia, quae est ista navis.

Tandem hic duo advertenda. Primò. Motivum, ob quod Christus decrevit, transire mare, jam illud explicavi superiori cap. quæst. 1. Secundo, quod hoc stagnum, erat mare Galilee, cujus latitudinem, ac longitudinem jam explicavi supra da. cap. 8. n. 3. ibi dicta videnda.

QUESTIO I.

De tempore, ac ordine rei gestae ad antecedentia.

DE hac quaestione breviter dicam, quam latius alij disputant. Dicendum est tamen, quod ordine temporis hæc historia immediate sit continuata ad praecedentia, quae explicavi superiori capite, ut scribit D. Matthaeus, & notarunt D. Chrysofostomus homil. 29. in Matth. Victor Antiochen. in 4. Marc. D. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 25. Abulensis q. 70. Alb. Magnus, Carthusianus, & alij hic. Unde D. Alb. Magnus, & Lucas hoc loco non servarunt ordinem temporis, siquidem prius narant quaedam parabolas, de quarum intelligentia interrogarunt duodecim Apostoli, Marc. 4. num. 10. Et tamen pro hoc tempore, quando hæc tempestas contigit, adhuc Apostoli non erant electi, nec Matthaeus vocatus, ut planum est, siquidem Matthaeum ad se traxit postquam iterum transfretavit ac reversus est in civitatem suam, Matth. 9. num. 1. & 9.

Unde Lucas scribens hanc historiam, ait: In una diebus; hoc est, in quadam die. Et Marcus: In illa die, quod idem est, ut ait Euthymius, ac in una diebus, seu in illo tempore, non in illo, in quo parabolas praedicavit, sed in alio, quod Evangelista indefinitè significat. Marcus: Cum serò esset factum; per quod denotatur, quod hæc tempestas nocte contigit. Nam Christus Dominus convenienti diei tempore, iussit suis transfretare. Matth. n. 18. tamen quia supervenerunt Scriba, & duo illi juvenes, de quibus omnibus egi superiori capite, in quibus instruendis moram contraxit Dominus, inde serò factum est. Hæc est enim eximia Christi charitas, quae potius attendit ad nostram salutem, quam ad suas commoditates, & pro nostra utilitate omnes suas commoditates postponit, & contemnit. Et hæc de causa nocte se pelago committit.

Cum Judei sevirerent in Christum ita ut jam designarent ministros ad eum apprehendendum, ait, Dominus: Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, Joan. 7. num. 33. Hæc dixit eximia

Bonus principis, qui pergit simul cum suis.

Abulens.

Si dux prae, milites sequantur.

Chrysofolog.

Vita caelestis contraria terrenae.

2.

Carthuf. Christus semper humilia quaerit.

Amor discipulorum.

3.

Vis securè degere? Eo, quo te Deus vocavit ordine vitae. Fides una, & vera in Ecclesia Catholica.

Chrysol. Cum Christi ut erat in navi; laus fidei est, ita Christum recipere, ut est, ut habetur in navi, hoc est, in Ecclesia. Quilibet non velit Christum recipere, ac sibi accommodare juxta suam voluntatem, ac beneplacitum; sed illum recipiat, & in eum credat, ut est in navi, ut illum nobis proponit sancta Catholica, ac Romana Ecclesia, quae est ista navis.

Tandem hic duo advertenda. Primò. Motivum, ob quod Christus decrevit, transire mare, jam illud explicavi superiori cap. quæst. 1. Secundo, quod hoc stagnum, erat mare Galilee, cujus latitudinem, ac longitudinem jam explicavi supra da. cap. 8. n. 3. ibi dicta videnda.

Chrysof. Antiochen. August. Abulens. Alb. Magn. Carthuf.

Resolutio quaestionis.

Euthym.

Christus pro nostro bono, tempore sua committit.

Joan. 7.